

Eij 39.

Exequiæ  
PARENTATI-  
TIONE VERSV-  
VM, EPITAPHIORVM,  
EPICEDIORVM, ET CONSO-  
latoriōrum, à propinquis & amicis factæ Mar-  
thæ & Theodoræ sororibus, alteri quadrinulæ,  
alteri bimæ, GREGORII BERS-  
MANI filiabus vnicè  
dilectis.



SERVESTÆ  
Typis Iohannis Schlerij, Anno  
clx lɔ XCIIX.

IN OBITV  
MARTHAE

GREGORII BERS-  
MANI F. VNICE DILE-

ctæ, puellæ supra ætatem indole  
egregia, & singulari morum  
luauitate præditæ,

*Epitaphia, & carmina consolatoria.*

VITAM IN HIS TERRIS  
fine placido & beato in complexu Patris  
clausit, Anno Christi Iesu M. D. XCVIII.

Mens. Maij Die XX. Hor. VIII. mat.

C. V. Annos III. Mens. X.

Dies XII. horas III, cum  
semiffe.

Propert.

*Tot bonatam paruo clausit in  
orbe dies.*

EPI.



EPITAPHIVM  
MARTHÆ FILIO-  
LÆ GREGORII BERSMANI,  
Rectoris illustris Gymnasi, Serue-  
stani ac professoris.

Vper amor patris Bersmani & gratia  
matris.

**N**Nunc utriusq; dolor, Martha qui-  
escit humo. Rectoris haustu,  
Quæ præcepta Dei complectens pe-  
Seruavit Christo iura, dataq; fidem  
Ac ignara doli, precibusq; assueta sacratis,  
Diuinæ species æmula gentis erat.

Creuit in hanc igitur pietas innata parentum,

Ad quos composuit seq; operasq; suas.

His se iucundam exhibuit, curamq; serenis

Vocibus extinxit, lætitiamq; dedit.

Sed nulla est placitis rebus mora: lætaq; siunt

Tristia, nec temerè, sed moderante Dœo.

Sic ubi vi fluxus spirandi est pressa facultas:

Vt flos imbre grauis, colla reflexit humo.

Sed caput attollet cœlesti rursus in horto,

Per Christum asserti Martha corona gregis.

Johan. Maior D.

A z

MEMO-

MEMORIÆ  
*MARTHVLAE FILIO-*  
*la vnicè delictæ.*

 E quoq; ne proui inficerent contagia se-  
cli ,

Gliscens traheret néue ruina mali ,  
Exemtam vitijsq; hominum, vitæq; pe-  
Adscivit superūm, Marthula, Ioua choris. (riclis,  
Denos post primæ menses trieteridos, atq;

Bis senos, C æui heu quantula summa !) dies.  
Certamen gemino, mea tu scis nata , parenti

Celicolūm de te cum patre , grande fuit,  
In partes dum quisq; suas te pertrahit , illi

Pugnantes precibus , iure sed ipse suo.  
Celestūm vicit ius insuperabile patris:

Nil lacrymæ, amborum nil valuere preces.  
At tibi, MARTHA, bono fuit hæc victoria, viætis

Quæ hæctum ingentem cord olimq; dedit.  
Mortali nam pro vita , plenaq; laborum ,

Reddidit æternæ præmia lætitiae. ctum,  
Da veniam , precor , ô lacrymis pater alme paren-

Qui fletu natæ gaudia prosequimur.  
Et dabis, hos animis qui motus indis, amoris

Nos erga testes, vnigenamq; , tui.

*Gregorius Berßmanus P. m æftiſſ.*  
*non sine lacrymis H. M.*

*B. M. P.*

EPIT A.

## *Epitaphium eiusdem.*

Ic extincta iacet primo sub limine vitæ  
Marthula, Bersmani progenerata satu:  
Deliciæ nuper solatiolumq; parentum,  
Nunc dolor, & luctus causa caputq;  
Vix dum viuendo ternos exegerat annos, (noui.  
Tercentum his, bis sex addideratq; dies:  
Cù m Deus erexit mortalis casibus æui,  
Transfluit ad superas in sua regna domos.  
Illa quidem, vitæ usuram nisi fata negassent,  
Laus erat & generis fama futura sui.  
Hoc pudor, hoc probitas, hoc blanda modestia mo  
Spondebant, balbo hoc gratus in ore lepos. (rū  
Est aliter visum cœli terræque monarchæ,  
In cuius sita sunt stamina nostra manu.  
Ille diem fati solet his properare supremum,  
Eximiè caros quos habet, atq; fouet.  
O multum dilecta Deo, soror optima salue,  
Salue cœlicolūm consociata choris:  
Accipe quas fundo lacrymas tibi frater ademitæ,  
Accipe supremum funeris officium.  
Illa dies, germana, meum quæ finiet æuum,  
Ereptam reddet te mihi, meq; tibi.  
Interea florum tumulus tibi vernet honore,  
Et tua defunctæ molliter ossa cubent.

*Mariæ sorori suauiss. in acerbo  
officio mærens F.*

*Gregorius Petrus Bersmanus  
Frater.*

A 3 EPI

## EPIGRAMMA

*wagnyoemor ad  
parentes.*

**M**ertha tenella licet membris , ætate qua-  
drima ,  
Supplebas æui stamina trunca tui  
Moribūs , ingenio , donis & Flaminis al-  
Spes quibus & gemini cura parentis eras . ( mi )  
Abstulit ista Deus sed cur solatia mœstis ,  
Impius in toto dum surit orbe Draco ?  
Nempè quòd hos pendere à se vult speq ; fideq ;  
Mœstitia in luctus , sub cruce perpetua :  
Sed cursu te ritè breui sancte q ; peracto ,  
Amplexu nati lætitiaq ; frui .  
Has tamen ærumnas inter , sua gaudia neutrūm  
Deficiunt , Flatu sufficiente sacro .  
Nec robur viresq ; , ducis nec dextera Christi  
Victrix , angelici præsidiumq ; chori .  
His si confidant , vincent aduersa ferendo ,  
Et quæcunq ; domi sunt mala , quæq ; foris .

Casper Beucerus D.

ALIVD *wagamudymor*  
ad eosdem.

**A**llatis ad se pueris λόγοι oscula  
figit ,  
Aeterna æterni Christus imago patris .  
Nec tulit astantum prohibentia mur-  
mura : quid ni  
Ad me confugiat grex , ait , ille miser !

Pro

Pro quibus è cœli descendit culmine, nullus  
Pellat ab amplexu pignora cara meo.  
Siste pater gemitus, lacrymarum flumine, mater,  
Ob natæ funus parce rigare genas.  
Infantes abigit carnis sapientia, Christus  
Suscepit tradit regna beata Patris.  
Vt pueri regnum patris ingrediamur oportet,  
Ad cœlos reliquis ianua nulla patet.

M. Wolf. Amlingus.

## CARMEN CONSOLATORIUM ad parentes denatæ.

**B**ersimane, yates atq; collega inclute,  
Tuæ ne cogor facere lessum filiæ?  
**B**Funebre q; carmen exarare Marthulæ  
Illi puellulæ aureæ, illi Flosculo,  
Illi Osculo, illi suauio, illi gemmulæ,  
Medullulæ Charitum, parentumq; animulæ;  
O, quām graue his humeris onus & impar leuo!  
Carminis enim auctori canendum est optimo  
Carmen, ferendæ nempe Athenas noctuæ.  
Hinc mitigandus est patri, à non patre, dolor;  
Quo maior haud cor anxium lacit, aut lapit.  
Non cura, non ærumna maior est iecur.  
Tenella siquidem & corda nobis indidit  
Natura, qui à cunabulis, reor sumus  
Bonarum & artium, bonarum & partium.  
Illaq; credibile est tibi (cui de luto

A 4

Meliore

Meliore Titan finxit olim viscera)  
Thyrso acriore hausisse pectus nobile,  
Ut amore maiore sobolis tuæ flagres,  
Magisq; lentiſ macereris ignibus.  
Nec carmen asciaro Aperta modò sinit  
Vocatus etiam: neq; nouensilis mihi  
Turba annuit: nec respicit me hoc puluere.  
His occupationibus scholasticis,  
Medijsq; Virgidemiac inficijs:  
Maltum quibus moueo ipse, promoueo parvum.  
Dicendum aliquid est tamen: & est sum flentibus  
Flendum, atq; mœrendum acriter cum talibus,  
Mœrentibus dicam, an merentibus viris.  
Etenim, redundans ceu capit is alti dolor  
In membra subiecta huc & illuc diditur:  
Sic fas erit, doméstico ut iuctu tuo,  
Nos quoq;, quibus das iura RECTOR musica,  
Animumq; nostrum stringat ægrimonias:  
Et hasta mortis vulnera aliquo pectora  
Degustet. Eheu! vita raniūm nomine  
Vita est, reapse labor (Cothurnatus refert  
Poëta) cui si fecit vñquam ætas fidem,  
Afflita certè nostra tempestas facit.  
Conterimus ætatem gemitibus: publicè  
Circumstat horror nos futurorum ob metum:  
Angore cor præsentia coquunt: memoria  
Retractat acta cum stupore tempora.  
Neq; id satis: priuatim habenis concita  
In nos quasi arietat calamitas vndiq;,  
Teloq; capita mors petit carissima.

Sed

Sed habet bene. Pius omne cedit in bonum,  
Licet malum sit maximum, & grauius nece:  
Nouitq; bona Deus è malis extundere:  
Hinc ille Marthulam tenellam prouidus  
Subduxit instanti procellæ, ac turbæ.  
Vitiorum & æruminarum: Et AGNI sanguin  
Tinctæ dat ut trieteride acta; messibus  
Inquam tribus: denisque mensibus:  
Terq; insuper vernis quaternis solibus  
Clausis solo: viuat Polo Christi in sinu.  
Hoc tibi patri BERSMANE, quin parentibus  
Utrisq; curam emoueat; hoc lacrumas genis  
Abstergat: hoc solatum menti adhibeat,  
Cœlestibus menti recoctæ ab ignibus:  
Hoc ipsum amici, in arduis, certissimi  
Summi simul, medioxumi, imi, suggerunt:  
Quos inter anter velut olores ego strepens,  
Si versibus feci minus mihi satis:  
Certè tibi officium placebit amiculi.  
Sic filiæ superstites Matrem; precor,  
Sic filij referant superstites PATREM.

Alberius L'ouim.

Eurip. ixer.

ωατεὶ δὲ οὐδὲν  
γίγνεται τρέπεσθαι. δέσποινας δὲ μηδὲν  
ψυχαῖ, γλυκῆνας δὲ ητούσις θωπεύματα.

IN

MEMORIÆ  
THEODORÆ  
GREGORII BERS,  
MANI FILIÆ CARISS. QVÆ  
vitam hanc mortalem cum immortali ac  
beata singulari cum parentum desiderio  
commutauit Die XIII. Mens. No-  
uembr. Iul. paulò post horam VI. ma-  
tutinam, Ann. Christi Iesu M. D. XCIX.  
C. V. annos duos cum mensibus totidem,  
& diebus XXVII. horis duabus; post  
obitum sororis suæ menses V,  
DD. XXII. cum horis  
totidem.

Epitaphia,挽歌，& epicedia scripta ab ijs,  
quorum suis singulorum versibus no-  
mini sunt subiecta.



magistris amissæ filiolæ D. M. Gregorio  
Bersmano & coniugi ipsius.

**V**era patri sunt hæc solamina proliſ amā-  
Si placido ſoboles fine beata cubet. (ti,  
Maius at hoc, ſummiſ ſi ſit prærepta  
periclis,

Vnde animæ interit⁹ corporibusq; venit.  
A circumfuso mixtoq; in mœnib⁹ hoste,  
Hæc mala cūm sanctis cœtibus immincent:  
Ceruices immō cūm noſtras nunc petat hostis,  
Diuinæ vt lucis deleat omne iubar:  
Auferat æternæ penitusq; vt dogmata vitæ,  
Aceterni & tenebras aggrauet exitij;  
Opprimat & leges ac iura tyrannidis cœstro,  
Polluat immāni caſtaq; ſpurcitie:  
Nilq; ſit hoc ſeclo fidum mortalibus ullis,  
Omne hostile palam ſit, vel hypocriticum:  
Filiolæ fatum teneræ caræq;, parentes,  
Præproperum quamuis, ferte piē ac placidē  
Hæc proprier, ſpectata bonis quæ mentibus ipsā  
Vel ſolo intuitu ſunt mage acerba nece.  
Christe, tui miſerere gregis, ſolare parentes,  
Hostiles aties ſterne, tuere tuos.

Caspar Peucerus D.

EPIT A-

## EPITAPHIVM.

ILia Bersmani Theodora hoc condita  
saxo,

 Delitiæ patris, gloria matris erat;  
Indole nam mores referens vtriusq; pa-  
rentis,

Spem magnam eximia de probitate dabat.  
Tam sese ad dicta & nutum componere norat,

Et iussas tenera reddere voce preces.

SED nihil est firmum nobis; nec fata perennem.  
Indulgent placitis rebus in orbe moram.

Sic iecur ut vires suffusa amisit ab vnda,  
A socia massa mens resoluta fuit.

Sol geminos, sed tres nondum Luna hauserat or-  
Dulce patri vt pignus sustulit atra dies. (bes.)

Mens fruatur Christo: communes massa recursq;  
Expectat terræ fornice tecta cauo.

Mox erit illa dies, patribus qua reddet alumnos.  
Hisq; patres viuo rursus honore Deus.

Ioannes Maior D.

In obitum Theodoræ filiolæ  
M. Gr. Bersmani bi-  
mulæ.

 Ita quid est hominis? vapor est (sic pa-  
gina sacra)

Exhalans animam fit cinis æger ho-  
mo.

Nec

Nec tamen in nihilum redigit mors debile corpus:  
Spiritui demitum florida reddet humus.  
Quas glacialis hyems tollit, Ver nobile reddit,  
Flore novo pingens atq; vigore rosas.  
Parcius ergo rigent lacrymis natæ offa parentes,  
Floredit roseis quæ rediuiua genis.  
Temporis est punctum , atq; iterum vapor induet  
Nec vis ætherea destruet vlla rosam. Cartus,  
Quos mortis domitor pretioso sanguine lauit,  
Vis horum vitam nulla abolere potest.

M. Wolf. Amlingus  
κλεύς τη συγκλούσαν.

### In obitum præmaturum

Elegantissimi paris sororum ,  
Marthæ & Theodore, Gr. Bers-  
mani F F.

**M**artha soror Lasari (quem quarta à fune-  
re luce  
Ebarathro Christus iussierat ire foras)  
Rebus in humanis , vietum quæ & cor-  
pora spectant,  
Obsequio indulgens , officiosa nimis,  
Vno, audit,(domitore necis dicente) labores  
Ante omnes , vno valde opus esse operæ  
Scilicet intentis Christi doctoris ab ore  
Dependere homines auribus ac animis.  
Hoc tua Martha sibi dictum, Bersimane, putabat,  
Vilia despiciens, dum potiora legit.

Aspernata

**A**lpernata orbem ac homines, colit ardua cœli,  
Et coram voces imbibit aure **λόγις**,  
**A**t Theodora sciens tua, se vel nomine solo  
Testatum, cuius sit, facere: unde, memor:  
Ostendi sese terris satis esse putabat:  
Depositum reddi fasq; piumque Deo.  
**H**oc patris possit cessatum ducere luctus,  
Hoc matris faxit tristitiaque modum.

*Johannes Theopoldus.*

*Spurio.*

*In obitu Theodoræ F. suæ  
carissimæ.*

**E**rgo te, quod erat reliquum, post fata so-  
Ah solatiolum deliciumq; tuis, croris.  
Inuidit, Theodora, piæ mors improba ma-  
tri,

Optima prima ferè quæ rapit ante diem,  
Ergo retractando vix dum coeuntia rumpis

Vulnera, cognato funere facta patri;  
Facta tuæ refricans germanæ vulnera leto,

Quæ sanare quies cœperat, atq; dies.

O dolor, ô gemino bis tantus morte parenti;

Quanta voluptatis gratia sospes eras!  
Explendo partesq; tuas, & munus ademptæ,

Alloquij blanda suauiolique vice,  
Et lusu ingratum patri fallente laborem,  
Et matri curas attenuante graues.

*Ec*

Et quisquam hos audet dictis incessere luctus,  
Et lacrymis leges iuraque ferre meis!  
Nec silicum venas chalybisque in pectore ferrum,  
Inuicto nec cor vinectum adamante gerit?  
Non ego fortis in hoc, (fas sit mihi vera fateri)  
Non hoc in patrio pectore robur ineſt.  
Ille suum qui nos opifex in imagine parua  
Finxit ad exemplum, quiequid ubique creans;  
Hos animis primo motus inseuit ab ortu,  
Cassa quibus pecudum natio mentis eget.  
Quas prolis saeuū quamuis amot armat in hoste,  
Perq; rapit flamas impete, perq; lacus;  
Et pastum pullis iubet & curare latebras:  
Vis tamen hunc sensus, non rationis agit.  
At nos celesti igniculos succepimus igni,  
Quos souet afflatu numinis aura suo.  
Ipse sui omniparens specimen quos pinxit amoris  
In nos, inq; simul se genitore satum.  
In quo complacitoq; sibi, præq; omnibus ant  
Dilecto, mundi quām rude staret opus;  
Ante maris terræq; domos, celiq; theatrum  
Dilexit, hominum præposuitque genus.  
Quorum ut quisq; magis diuino semine stirpem;  
Atque Iuto ducit nobiliore genus;  
Acrior hoc illum thrysus percussit amoris;  
Hoc grauius sobolis funere vulnus alit.  
Quæ compar, æterne, tuo flamma arsit amori,  
Quo nos, Vnigenam prosequerisq; tuum?  
Qui luctus supreme tuo pater, arbiter æui,  
Qui patet, immenso maior in orbe sunt?

In

In cruce cùm nostro passum pro crimine natum  
Luxit humus tecum, celicolumq; domus.  
Prætexensq; nigram Phœbus ferrugine frontem,  
Mœrorem mœsto prodidit ore suum.  
Diuolsiq; vnà montes, & saxa dolore  
Fracta creatoris dissiliuere obitu.  
Hortificis tremulum quatiensq; tremoribus orbe,  
Infremuit rauco concita terra sono,  
Et celo manes ostendit, & antra silentum,  
Atq; profundo urbes hausit aperta sinu.  
Hæc natura tuis indulgens luctibus, olim  
Signa dedit luctus, conditor alme, sui.  
Cuius nos, pariterq; tuo, qui regula morum es,  
Anné sit exemplo condoluisse nefas?  
Ac fudisse tui lacrymas imitamine nati,  
Cui sanctæ toties immaduere genæ?  
Heu nostræ admonitu labis, mundiq; furore,  
Gentis & exitio pernicieque suæ!  
Quisquis es ergo meo parce obtrectare dolori,  
Arbiter officij quem creat, urget amor,  
In moresq; abiens alit ars. obnoxia vates  
Turba sumus lacrymis, flebile si quid adest.  
Si quid adest patriæ, nostris aut flebile rebus,  
Protinus in lacrymas nos iubet ire dolor  
In lacrymas iubet ire dolor nos, publica gentem  
Seu mala sollicitant, seu sua quemq; domi.  
Argue mollitiem, horrescis qui mollis haberi:  
Quim colimus, tales Musa tenella facit.  
Natura ingenium nobis mollescit & arte,  
Irrigat hæc lacrymis, irrigat illa genas.

Quas

Quas libo, Theodora, tibi vatesq; parentesq;;  
Instant officio nomina binā meo:  
Quas, cineri dāns iusta tuo, modò Marthula fu-  
O luctus ambæ funere causa mei! di,  
Nunc luctus: requies pridem iucunda senectæ,  
Donec utriusque rotas cernere Solis erat;  
Solamenq; malis praesens, morbisq; leuamen,  
Quos cumulat frontem ruga seculis arans;  
Curaq; venturæ iam iam præsaga ruinæ,  
Mœnia quæ secum, templa, scholasq; trahet.  
Iuraq; prostituet diro cum legibus hosti,  
Polluet & sanctæ religionis opus,  
Quis tamen heu stupor est, aut quæ velsania, que-  
Incestare meo, gaudia vestra patrem? (stu  
Nec læta potius gratari sorte bonorum,  
Qua superum ambabus contigit arce frui?  
Defuncto cum fratre, prius luciq; sorore  
Erepta, lucis quam videt orta iubar;  
Ante thronum niuco succinctis vestis amictu,  
Inter palmiferi millia multa chori,  
Atq; triumphales Agno modulantibus hymnos,  
Cuius inundastis sanguine texta stolæ.  
Illinc & metus. & curæ, spesq; anxia voti  
Exulat, & luctus, cum lacrymisq; dolors  
Et malesuada famæ, pestis, discordia, bellum,  
Morborumq; truci mors comitata grege.  
Non labor est istic, nulla est ærumnæ, nec æstu  
Sol auras torrens, aruaq; hiulca siti.  
Sed Pacem complexus Amor, Pacisq; gemellæ,  
Iustitia, & pura fronte serena Fides.

B                  Illic

Illic delicias, illic manantia dulci  
Fonte Voluptatis gaudia riūus agit.  
Illic & vitæ scatebris fons exit amoenis,  
Viuificæ quem non deficit vber aquæ.  
Qui babit hinc, sacri perfusus nectaris haustu,  
Torretur nulla tempus in omne siti.  
Has inter mea, filiolæ, spes, curaq; matris,  
Lætitias, capitis gaudia sancta polo.  
Felices ambæ properati munere leti,  
Ah Theodora tui munere, Martha tui,  
Præreptæ vitij sq; æui, vitæque periclis,  
Quæ grauiora dies postera quæq; facit.  
Vobis parta quies: vestros cum morte parentes,  
Ex alijs aliæ cura laborque manent.  
Vestrīs lacrymulam Deus omnem abstersit ocellis:  
At nostra vsq; nouis fletibus ora madent.  
O vtinam, quæ nos reliqua cum prole, ruenti  
Subducat nimbo, præcipitante dies  
Appetat exortu; quæ corpora iungat Olympo,  
Iuncta animis, sed nunc dissociata locis.  
Hoc precor, hanc iubeas, Deus ô, aurora citata  
Luce diem roseis candida portet equis.

Gregorius Bersmanus P.  
mæstis. F.

DE

# ELEGIA

De morte sororis suæ Theodoræ,  
ut natu minimæ, ita carissimæ.



Icciné, ceu fluctum fluctus premit usq;  
priorem,

Truditur ærmina proxima quæque  
noua.

Nuper ab aduerso percussi fulminis iætu,  
Sensimus heu mortis vulnera, Martha, tuæ.

Quas non hæc lacrymas mouerunt funera nobis,  
Quanta erat ah obitu quanta querela tuo!

Vix auido cineres accepit terra sepulcro,

Et bene vix tumuli ianua clausa fuit;

En Theodora, sequens defunctam morte sororæ,  
Funeris officium poscis & ipsa tibi.

Vulneris ô grauior geminato funere sensus!

Sæuior ô plaga mox iterante dolor!

Occidis heu primo, germana, in limine vitæ,

Heu nimis immitti raptæ tenella nece.

Nec teneris raræ tibi profuit indolis annis

Elucens, grata cum pietate, decus.

Occidis heu binis vix dum natalibus actis,

Queis nouies denos addiderasq; dies.

Sic rosa, purpureo rutilans manè igne comarum,

Vespere cum terris adueniente cadit.

Occidis, heu quos non luctus vtriq; parenti

Concilias, quorum gaudia nuper eras!

Omnia quæ tecum volucres abiēre per auras,

Spesq; vnâ, letō cuncta sepulta tuo.

Parua

Parua queror : tecum perierunt vota precesque,  
Quæ pro te summo iuncta tulere Deo.

Ah miseram sortem ! infantis febris occupat artus,  
Depascens æstu membra tenella fero.

Pallent ora , siti fauces torrentur anhela,  
Frigida (quis credat ?) permeat ossa calor.

O pacem quoties est ægræ visa pacisci,

Quum noua composita prælia pace mouet,

Ergo ita dum cessat paulum , post acrius urget,  
Afflictum vites destituere iecur.

Donec, ubi intumuit suffusa venter ab unda,  
Deseruit vita te fugiente calor.

Non tibi subsidium Phœbæ defuit artis ,  
Sedula non matris cura, precesque patris.

Sed neque Pæonijs mors est superabilis herbis,  
Nec curæ officio flebitur atque precis.

At bene habet : consanguinea cum stirpe tuorum,  
Namque soror vitae commoda morte refers,

Et cunctis erepta malis , erepta periclis,

Nunc pacis frueris lætitiaeque bonis ,  
Inter cœlestum turmas, Pæana canentes

Victoriique Agno, tergeminoque Deo.

Dum nos armorum passim circumsonat horror,

Proque manent aris prælia, proque focis;

Sæuus Pannonicum bello dum territat Istrum

Turca, cui socias trux Scytha iungit opes ;

Teutoniisque furunt media intra viscera Mauri,

Heu portenta feris barbariora Scythis !

Sed cognata tamen quisquis non funera moeret ,

Aut potis est siccis illa videre genis,

Iustum

Istum ego duricie vel robora vincere credam,  
Et chalybis venas pectore ferre suo:  
Istum ego Caucaseis dicam de rupibus ortum  
Humani prorsus cordis habere nihil.  
Mentior san verè, soror hæc tibi commoda grator,  
Ora rigans obitu fletibus usq; tuo.  
Lugemus, Theodora, tuo lætamur abortu:  
Gaudia sunt leto mista dolorq; tuo.  
Sic placitum tibi summe parés hominumq; deūq;;  
Quem vitæ penes est arbitriumq; necis.  
Gaudia sic lacrymis subtexere, tristia lætis  
Diluere, atq; alioe dulcia mella soles.  
Rebus in humanis ne sit sincera voluptas,  
Sed mala iuncta bonis, & bona mista malis.  
Tu nobis post tot luctus, hyemisq; procellas,  
Læta iube rursus tempora veris eant.  
Tu cœtus defende tuos: quos vertere tentat  
Funditus, hinc mundi, Dæmonis inde furor.  
Pelle procul patriæ sceleratos finibus hostes,  
Et malé fac fraudem fraude perire suā.  
Debita soluemus tibi sic præconia laudum,  
Sic tibi vox grates nostra perennè canet.  
Interea, Theodora, mihi salueq; valeque,  
Salve, ô cara soror, ter mihi, terq; vale.

*Gregorius Petrus Bersmannus.*

MEMO-

**Memoriæ Iohannis Henrici Grego-  
rij F. Berßmani, qui diem sūtum obijt Non.  
Sept. Ann. Christi Iesu LXXIX.**

**C. V. Mens. II. Dies XI.**

**hor. XII.**

**N**fans hac tegitur Iane Bersmanulj vrna  
Cui vix compositā Parca seuera colum  
Fregit, & heu m̄tri teneræ, cultoq; parēti  
Aeternum peperit cordoliū & lacrymas.  
Firma diu speres tibi gaudia nulla, viator,  
Fata mala rapiunt optima quæq; manu.

**A L I V D.**

**E** mea fle genitor, mea nēu fle funera  
mater, (tulerint.  
Fata quod ante diem me puerum abs.  
Multa laboriferæ sic fugi incommoda  
Nullisq; infecta est mens mea criminibus. (vitæ,  
*Job. Posthius F.*

**A L I V D.**

**A**c Henricus Iohannes Berßmanulus vrna  
Post menses geminos dimidiūq; cu-  
bat.  
Deliciæ patris docti, matrisq; pudicæ;  
Nunc tumulo positus gaudia, Christe, tibi.  
Quem vitæ veniens, breue quod sit, redde beatæ:  
Et celi sanctis ciuibus adde tui.

**Ad. Siberus.**

**A L I V D**

## A L I V D.

 An Heinrichus in hac sôboles carissima  
vatis (mo.

Bersmani, moriens est tumulatus hu-  
Quem non Pæoniæ nō vis genuina sma-  
Seruare a morbi vi potuere mala. (ragdi  
Sed dulci pendens lactantis ab ybere matris,  
Sedibus æthereis reddidit ille animam.

Michaël Barth. D.F.

## A L I V D.

**N**Vllius est hominum mors non matura, ma-  
nere

In vitæ primo hæc limine quenq; solet.  
Sed tamen illorum mors immatura putatur,  
Quorum vitam & res publica poscit opem.  
Hoc quoties animo reputas, Bersmane, subitq;  
Spes tua filiolus quòd cadat ante diem:  
In luctu es meritò, sentisq; in corde dolorem,  
Expleri lacrymis qui nequit & gemitu.  
Sin contra occurret rerum tibi tristis imago,  
Vtq; in peius agat singula quæq; dies:  
Haud luctu immodico perges traducere vitam,  
Atq; hoc ingenij dona hebetare tui.  
Nam bene habet. Viuit tibi filius omne per æuū,  
In Christi capiens gaudia vera sinu.

*Anadocho suo in luctu p̄ij officij  
mærens F,*

Sebast. Leonhardus.

TVMV.

TVMVLVS IOHANNIS HEN-  
rici F. Bersmani II.

**H**Vnc tibi pro cura victus, pro munere amictus,  
ian Henrice, paro cum tumulo titulum.  
Tu primus mihi, nate, dolor, te, nate, peremto  
Luctus heu patrij vulnera prima tuli.  
Sed quoniam, te qui dederat, mihi rursus ademit,  
Illi me ius est cedere iure meo.  
**H**oc luctum tamen immitis leuo mortis acerbuni,  
Te mihi quod reddet, nate, suprema dies.

*Infantulæ avorūμω F. Bersmani II.*

**Q**Væ iacet hoc infans tumulo, sine nomine  
corpus,  
Semine Bersmani progenerata fuit.  
Sed vita defuncta prius, quam reddit a partu,  
Cum decimo matrem mense grauasset onus.  
Hinc illi nullum nomen fecere parentes,  
Nec, cum luce, tamen nomine cassa fuit.  
**A** Christo Christina suæ genetricis in alio  
Dicta, sacri consors federis, atq; poli.

**G**regorius Bersmanus P.  
in pio officio mœrens  
vtriq; F.

**F I N I S.**

613940

ULB Halle  
004 953 606

3



TA-06

100



## Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Exequiae  
PARENTATI-  
TIONE VERSV-  
VM, EPITAPHIORVM,  
EPICEDIORVM, ET CONSO-  
latoriōrum, à propinquis & amicis facie Mar-  
thae & Theodorae sororibus, alteri quadrinulæ,  
alteri bimæ, GREGORII BERS-  
MANI filiabus unice  
dilectis.



SERVESTAE  
Typis Iohannis Schlerij, Anno  
clc Is XCIX.

+